

† Adm. R. P. Gerardus Braam (1888-1948)

(Vice-Prov. de Rio de Janeiro)

Vehementi haec nostra Vice-Provincia affecta est dolore, durissimum accepit detrimentum, cum valde mane diei 20 Septembris 1948 telegraphus triste divulgavit nuntium: Repentina morte e vivis sublatus est carissimus Rector Curvelanus Adm. R. P. Gerardus Braam. Cuius obitum luxerunt non tantummodo subditi et confratres, sed et plures episcopi, innumeri e clero saeculari sacerdotes atque aliarum Congregationum et Ordinum, neconon magna fidelium turba, qui omnes defuncti virtutes admirabantur eumque rogare solebant ut sibi consilio adesset, vere pater spiritualis, bonitatis, sapientiae, caritatis plenus.

Lucem huius saeculi adspexit Pater Braam in urbe Tiel in Neerlandia die 22 Augusti 1888, ex pientissimis parentibus Gerardo Braam et Anna Huisman ortum ducens. Emenso studiorum in iuvenatu Ruraemundensi curriculo peractoque tirocinii anno Buscoduci vota nuncupavit die traditionibus sacra, in festo Sancti Michaëlis anni 1909, et Wittemii sacerdotio auctus est die 19 Augusti 1914, die propter prius bellum universale nuper prime natum subito anticipata. A Superioribus in terras brasilienses missus est aliquot annis post laetusque litori appulit mense Septembri 1920.

Prioribus vitae sacerdotalis annis operi missionum et « recessuum popularium » in ipsius suae Hollandiae oppidis incubuit. Per aliquod tempus etiam socius adiunctus est novitiorum magistro interque tirones habuit et ipsissimum Patrem Rectorem Maiorem L. Buys. Vere « saccharon in coffea » fuit novitiis, uti Sua Paternitas confirmare solet.

In Brasilia ad mortem usque Superioris munia obiit. Solummodo per duos priores annos in missiones exibat idque in difficiliora territoria, paupertate, miseria, morum ruditate conspicua. Duri labores subeundi, duriora itinera equitando perficienda; idque eo acerbius Patri onus, quo delicatioris erat constitutionis et omnimoda munditiei amantior.

Iam anno 1924 incipiente in urbe Congonhas novo iuvenatui praeficitur Subdirector, 1927 Director simul ac collegii Rector et Parochus. Mense Decembri 1929 in utroque munere renuntiatur Belo-Horizonte; quem iam tum vox populi democratice, ut ita dicam, futurum dicebat Vice-Provincialem. Reaperte, a mense Aprili 1935 usque ad nominationes post alterum bellum, id est mense Februario 1946 factas, suprema totius Vice-Provinciae gubernacula tenuit.

Optime de Vice-Provincia meritus est nomenque suum indelebiliter infixit operibus maximi momenti: amplis aedibus iuvenatum stabilivit¹;

¹ *Analecta XVIII* (1939), 19-21.

domui Juiz de Fora alam adiunxit multis novitiis recipiendis aptam; splendidum ac sumptuosum aedificavit in Floresta studentatum¹.

Maiora autem merita cumulavit amatus Pater Braam per observantiam et zelum vitae interioris genuinaeque disciplinae regularis. Ipse met exemplar omnium virtutum, in id incubuit ut et subditi essent perfecti Congregationis filii. Animi robur et constantiam mire iunxit amantis patris bonitati. Raro invenies Superiorem, in quo perfectius eluceat virtus illa cardinalis, quae « prudentia gubernatrix » audit. Pacem, concordiam, mutuam dilectionem eminenter amans, omnibus viribus obtinere enixe et unice studuit ut omnes, cor unum et anima una in vinculo pacis, reliquias perfectionis apicem attingerent. Qua supremus Moderator, semper comis, semper affabilis, semper officiosus, constanter perpendere videbatur, quoniam modo subditorum desideriis, dummodo iustis, satisfaceret, ingenii facultates et dotes stimularet, paterno affectu laudaret ac remuneraretur quidquid minimi exantlassent idonei, segnes ad meliorem concitataret frugem. Immo, tanta humilitate eminebat, ut vel ad simplices Fratres conversos scribens nunquam non adderet, summatim quidem et stilo telegraphicō, omnia nōva quae sciebat et communi utilitati esse ducebat, quaeque occurrerant in domibus, inter infirmos, in campo apostolico, cetera.

Diabeti laborans, saepius utsuperioratu exoneraretur petiti, quod exeunte bello consecutus est, tametsi eius desiderio vivendi deinceps « ut miles gregarius » — sic dicere solebat — satisfactum non est. Per duos annos et dimidium Rectoris munere fungebatur usque ad extrellum halitum.

Qua tantopere excellebat prudentia, ea, proh dolor! non utebatur quod ad ipsius valetudinem spectabat, medici praescriptis regiminive, vulgo diaetae, quoad potum et cibos non sat exacte oboediens. Paucis ante obitum diebus quattuor missiunculas peracturus exiit solus, easque sine ulla intermissione vel levamine atque in locis 1400 m. altis et cordis eius debilitati noxiis. Exhaustus domum Curvelo rediens, peritum aesculapium consulturus iter arripuit in Statū caput Belo-Horizonte; attamen iam insequenti die eum mane hora 6 in lecto cubantem et iam mortuum invenit Frater inserviens. Vix sexagenarius, placide sine ulla agonia obdormierat in Domino paucis minutis ante.

« Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est ».

R. I. P.

B. HAANAPPEL

¹ *Analecta XXI* (1949), 81-84.